Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35467
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

ista considero, an ita in uita te agitur mecum. Cum ergo perseuerante usu reuera cognosceret se esse sanatum, letabundus et laudans mox currere cepit, et omnibus que sibi acciderant nunciauit. Accurrentibus igitur cunctis ad ipsum locum, omnes male habentes cum in eadem aquam ascendissent, continuo sanabantur a quacumque infirmitate detinebantur. Cupientes uero cognoscere unde procederet illa benedictio sanitatis, et effodientes latronum corpora, tantus fetor aerem tale fecit, ut opilatis naribus omnes pene diffugerent. Mox quod reiectum zabulum super immunda cadauera uite illius Margarete corpus inuisere festinauerunt. Quod cum discooperuissent, ita a planta pedis usque ad uerticem incorruptum et ita uenustum apparuit, ut magis uiuenti quam mortuo simile uideretur, immo ex eo tanta flagrancia exalabat, ut omni puluere pigmentario respersum putaretur. Inuenta igitur preciosa margarita, eduxerunt eam de lacu miserie et de luto fecis. Tunc comprehensus est impius parricida, et interrogatus tormentis, confessus est omnem ueritatem audientibus uniuersis. At ubi nunciata sunt ista presuli et primoribus ciuitatis, uenientes ilico clerus et populus innumerabilis uenerabile pignus cum honore debito ad sedem pontificalem detulerunt, in ipsa maiori ecclesia cum sollempni deuocione et gaudio digne collocauerunt, et tanta inde miracula fiunt, ut pre innumera multitudine nequeant comprehendi.

De uxoribus que offendunt uiros suos. xy.

Refert Augustinus in libro confessionum ix, quod quadam uice cum multe matres familie conuenissent, ceperunt conferre ad inuicem de crudelitate maritorum. Quedam uero ex eis